De fundamento, quo nitatur illa temporum latinorum consecutionis doctrina.

Disquisitio,

quam

Consentio Max. Venerando Cons. Eccles. Lundensi

pro munere Rectoris obtinendo

publice proponit

F. E. BORG

Litteraturæ Arab. Docens, ad Scholam cathedralam Lund. Adjunctus constitutus

Respondente

A. G. EDV. BRUNNSTRÖM

Scano.

In Audit. Minori die XXII Jnnii MDCCCXL.

Hor. a. m. sol.

P. II.

LUNDÆ,

typis excudit CAROLUS FR. BERLING,

Universitatis Typographu's

MDCCCXL.

Sin autem effectus is est, qui nondum in lucem prodierit, quem vero prædicato procreatum iri cupiat subjectum, finem eum appellamus. ex gr. *Ad valetudinem recuperandam multi sese ad mare conferre solent.* Si notio, quæ finem comprehendit, in enunciationem transformatur, hanc recipiet formam; *ut valetudinem recuperent.*

Sed jam ad determinationes modales transgredimur. Ad exprimendum modum, quo se aliquod patefacit prædicatum, valent notiones, quæ quoddam continent attributum. Has notiones sese per idem tempus, per quod prædicatum, evolvere, ab omnibus facile intelligitur. Quoad formam aut adverbia esse possunt, aut substantiva abstractæ significationis, aut participia, aut etiam adjectiva ex gr. *titubanter, cum titubatione, titubans, balbus locutus est.* Quas notiones ita in se excipit prædicatum, ut ex duabus notionibus una efficiatur, quam uno etiam vocabulo sæpe exprimere licet ex. gr. *titubavit*, quod vocabulum idem, ac illud *titubantur locutus est*, significat. Fit vero sæpenumero, ut modus, quo se exhibeat prædicatum, adverbio quodam formali ex. gr. *sic, ita,* omnino significetur et aut enunciatione effectiva ex. gr. *Ita semper locutus est Pericles; ut ab omnibus facile intelligeretur,* accuratius determinetur aut in præcedente enunciatione jam sit explicatus.

Est denique memorandum, aliam quandam notionem una cum prædicato in tempore evolutam posse proponi, quamvis nec ullam temporalem, neque causalem, neque modalem ejusdem contineat determinationem. ex. gr. *cum clamore in forum homines currunt. Aristides in magna paupertate decessit. C. Cornelius et M. Scaurus concursu totius civitatis et accusati sunt et defensi.* Si hæ notiones in enunciationes commutantur, quia, ut jam dictum est, una in tempore sunt cum prædicato, formam enunciationis temporalis recipiunt, ut, *homines, dum clamant, in forum currunt. Aristides, dum magna paupertate laborat, decessit,* et sic in cet.

Peracta hac de relationibus, quas ad alias quasdam notiones prædicatum enunciationis cujusdam potest habere, disquisitione, videamus, quomodo, in una eademque enunciatione obvenientes, singulæ notiones in singula abeant enunciationum genera. Si itaque illa, quæ antea proposita fuit, enunciatio, *puer diligens librum latinum legit* ita augetur, *puer diligens ante solis ortum domi utilitatis causa librum latinum attenter legit* et notiones, quæ ad illam primitivam enunciationem amplificandam accesserunt, in enunciationes transmutantur, ita illa sonabit, *puer, qui est diligens, antequam sol oritur, ubi habitat, quia utile est, librum, qui est latinus, dum attentus est, legit.*

Sed jam in id perventum est, ut inter enunciationes primarias et subordinatas rite possit distingui. Primaria aut absolute aut relative dicitur enunciatio. Omnis

enunciatio absolute primaria vocatur, qua is, qui loquitur, cum substantia aliqua conjungat attributum, quæque plenam et perfectam exprimat cogitationem, ex. gr. *puer est diligens.* Relative autem primaria nominatur enunciatio, ex qua alia quædam pendeat, sive ipsa ab eo, qui loquitur, recta emanat, sive membrum alius cujusdam enunciationis efficit. Secundariam dicimus enunciationem, in quam notio aliqua, ad primitivam enunciationem attinens, fuerit transformata, aut saltem ut membrum quoddam ex eadem pendeat. Fit vero sæpenumero, ut enunciatio absolute primaria enunciationis secundariæ habeat formam, ex. gr. *Homerus, cui in omnibus fere scholis hoc tempore studetur, proxime præcedente sæculo vix ad academias legebatur.* Enunciatio illa, *cui in omnibus fere scholis hoc tempore studetur*, non continet attributum Homeri, sed aliud quoddam per se constans judicium efficit.

Cum itaque inter enunciationes primarias et subordinatas distinctum sit, et posteriores quomodo oriantur, demonstratum, hanc disquisitionem, id quod jam principio indicavimus, revera esse fundamentum, quo nitatur illa temporum latinorum consecutionis doctrina, ita comprobare conabimur, ut ostendamus, eam habere enunciationem subordinatam ad primariam relationem, ut tempus, quo illius expressum sit prædicatum, in idem spatium, habita præsentis momenti ratione, necessario cadat, ad quod illud tempus pertineat, quo hujus posterioris gaudeat prædicatum. Ad quod priusquam adgredimur, latinorum verborum tempora generatim et breviter perstringenda sunt.

Omnis actio aut status e momento præsenti disponitur et ad hoc relatus, aut præsens est, aut præteritus, aut futurus. Omnia indicativi, conjunctivi et imperativi tempora ad hoc momentum quandam continent relationem, quod si spectatur, omnia tempora possunt relativa nuncupari. Cum autem nonnulla reperiantur, quæ præter hanc relationem aliam quandam ad actiones aut status ejusdem temporis spatii, atque ipsa sunt, comprehendant, ut ambages nominandi evitentur, hæc vocare volumus relativa, dum cetera dicimus absoluta.

Sed de temporibus indicativi primum loquamur. Ad cujus tempora absoluta referenda sunt perfectum historicum, præsens et futurum simplex, quorum singula singulas ad præsens momentum et solas continent relationes. Triplex est ille modus, quo actio aliqua aut status ad alterum quendam ejusdem temporis spatii potest referri. Aut enim alter alterum præcedit aut conseqvitur, aut etiam uterque simul sese in tempore evolvit. Qui tres relationis modi cum in singulis temporis spatiis obveniant, hæc spatia ternis temporum relativorum formis gaudere debere videntur. At linguam latinam, ut ceteras, quas cognovimus, plures deficiunt. Sic nullæ inveniuntur ad consequentiam exprimendam formæ, nisi huc velis relata illa tempora verbi

esse cum futuro partic. act. conjuncta; quamquam, cum nullam puram temporis notionem exprimant, a summis hujus ætatis grammaticis sunt a temporum serie segregata *). Quorum sententiæ eo me potius addicam, quod cum de consecutione temporum agitur, non nisi ipsa tempora verbi *esse* spectanda sunt **). Ita etiam nullam habet lingua latina singularem formam ad exprimendum actionem aut statum, qui in præsenti aut futuro temporis spatio una cum alio quodam sese evolvit. Quorum temporum relativorum vic bus funguntur, in suo utrumque temporis spatio, præsens et futurum simplex. Præteritum autem temporis spatium, cum status omnes actionesque, quas complectatur, certum quendam inter se ordinem atque rationem teneant, eæque sint secundum hunc ordinem proponendæ, plures, quam cetera, temporum formas est assecutum. Sic ad designandam temporis congruentiam instructum est forma illa imperfecti, quæ, dum perfectum historicum narrationis cardinem sibi proponendum assumit, in eodem describendo et adumbrando versatur, causam aut modum aut alias eum comitantes actiones pronuncians. Quæ vero actiones aliis quibusdam antecedunt, ad eas exprimendas singulæ in singulis temporis spatiis formæ reperiuntur, scilicet plusquamperfectum in præterito, perfectum in præsenti, futurum exactùm in futuro temporis spatio. At cum perfectum ut tempus quoddam absolutum antea proposuimus, ad hanc controversiam, quæprimo intuitu esse videtur, nos conferamus dirimendam. Perfecti id proprium fuisse videtur, ut statum quendam aut actionem, quæ, e præsenti momento spectata, præsens esset, exprimeret, cujus vero ad hoc momentum sese tenderet effectus. Cum autem Latini nullam haberent temporis formam, quæ aoristo illi præterito in græca lingua responderet, hujus etiam partibus perfectum fungebatur. Quod quidem rite adnotantes, diversa huic tempori nomina, prout has vel illas agebat partes, grammatici sunt impertiti. Quamquam vero res sese ita habet et quamquam non defuerunt auctores latini, qui hanc differentiam, ubi fieri posset, ipsa forma exprimerent***), non tamen illa satis clara fuisse Latinis atque dilucida videtur. Saltem ad id semper attenderunt, perfectum præsenticum statum aliquem aut actionem jamjam præteritam enunciare. Hoc quidem exinde licet intelligere, quod si ex enunciatione, quæ perfectum præs. haberet prædicatum, alia quædam, una sese in tempore evolvens, penderet, hæc imperfectum sibi assumeret.

*) Confer Ramshorn. Lateinische Grammat. pag. 590. Weisenborn. Syntax. der Lat. Spr. pag. 11.

**) Vid. Sprach-Erörterungen herausgegeben von Etzler pag. 188.

***) Inter hos nominemus Tacitum, qui formam illam *erunt*, cum de perfecto præsentico agebatur, adhibuit, *ere* vero, cum perf. præt quærebatur. ex. gr. Tac. Ann IV. 35. libros per ædiles cremandos censuere; sed manserunt occultati et editi.

Priusquam hanc brevissimam temporum latinorum relinquimus adumbrationem, pauca de singulis temporibus sunt afferenda. Tempus præsens pro perfecto præterito ab historicis sæpe adhibetur, cum aliquid eorum, qui legunt, quasi oculis est repræsentandum. Ita etiam pro futuro simplici haud raro usurpatur ad statum quendam aut actionem indicandam, quæ a præsenti inde momento incipiat, aut quem fieri æque, ac si jam spectaretur, is, qui loquitur, habeat persuasum. Perfectum præsenticum significat interdum statum aut actionem, quæ nondum in lucem prodierit, quam vero incitata aliquis mente certissime futuram esse edicit. Ita futurum simplex in præcipiendo, adhortando et imperando pro tempore præsenti usurpant.

Est denique memorandum, eam fuisse Latinis in literis scribendis consuetudinem, ut ex temporis momento, quod ei, qui literas esset accepturus, præsens foret, non e puncto, quo scriberetur, ea, quæ narrarent, disponerent.

Quæ de temporibus indicativi attulimus eadem fere de conjunctivi valent, nisi quod hic modus futuræ actionis temporibus caret. Quem defectum ita expleverunt Latini, ut pro futuro simplici præsens conjunctivi adhiberent et perfectum pro futuro exacto.

Imperativus duas habet formas, quarum una actionem aut statum exprimit, qui in præsenti temporis spatio existet, altera hunc in tempore post intervallum aliquod futuro collocante. Quum vero omnes hi modi omnibus suis temporum formis actionem quandam aut statum in certo temporis spatio, ad momentum, quod ei, qui loquitur, præsens est, relato ponunt, infinitivi et participii formæ relationes tantummodo ad alium quendam statum aut actionem exprimunt, non indicantes, ad quod temporis spatium ipsæ pertineant.

Sed jam quærendum est, quænam sit illa temporum latinorum consecutio universe considerata. Cui quæstioni respondendi viam, iis, quæ supra allata sunt, jam munitam esse speramus. Cum enim demonstratum sit, enunciationes subordinatas esse notiones enunciationis formam assecutas, eandem etiam, atque hæ, ad tempus enunciationis primariæ habeant necesse est relationem. Nulla autem sola cogitata notio ad certum quoddam pertinet tempus; ubi enim in hoc vel illo temporis spatio posita cogitatur, jam actus quidam judicandi incepit. Qui quidem si absolvatur verbisque pronuncietur, enunciationis, quæ exstat, prædicatum illud indicat temporis spatium, ad quod omnes huc pertinentes notiones sint referendæ. Hinc sequitur, omnes enunciationes subordinatas in idem cadere temporis spatium, in quo illa primaria sit collocata. Si itaque in enunciatione primaria præteriti temporis prædicatum obvenit, plusquamperfectum aut imperfectum aut perfectum historium subordina-

ta illa requirit. At cum tempus præteritum eaque omnia, quæ continet, ut aliquid re-ipsa existens certoque limite terminatum sese proponit, tempus contra futurum ut fetus aliquis nondum natus suam omnem vitam debet cogitanti. Hinc efficitur, ut futuri temporis spatium cum præsenti confundatur, eæque temporum formæ, quibus singulis singula gaudeant, sese invicem consequantur. Si itaque enunciationis primariæ prædicatum tempore præsenti expressum est, enunciatio subordinata non solum perf. præs. et præsens sed futurum simplex etiam potest habere. Ita etiam enunciationis cujusdam primariæ futurum, sive simplex est sive exactum, non solum hæc tempora sed præsens etiam ac perfectum præs. consequi possunt. Sed perf. præs. ut jam antea est observatum, cum actionem aut statum, qui quidem præsenti momento præteritus sit, cujus vero se ad hocce momentum tendat effectus, proponendum habeat, non modo ad præsens tempus atque futurum, verum ad imperfectum etiam et plusquamperfectum refertur.

Quænam singula in singulo temporis spatio sese invicem tempora consequantur, in enunciationibus diversi generis subordinatis investigandum est.

---

*) Vid. Sprach-Erörterungen herausgegeben von C. F. Etzler pag. 162.